


CLARISSIMO S.E.R. PRINCIPI PRAESBYTERO CARDINALI. D.D.  
Gasparo de Chyroga Archiepiscopo Toletano, Sumo de fide  
Quæsitori, Hispaniarum Primario, bonarum literarum  
Patrono, Magister Ioannes Lupus de Hoyos.  
P. D. Q.



Psalm.19. Hi in curribus & in Equis,

Magnanime ô Chyrogadecus, lux gentis Iberæ,  
Qui illustras meritis sæcula nostra tuis.  
Hos Patrone sacros, quos sanctis fontibus hausí,  
Accipias latices, Theologasq; dapes.  
Et memor esse velis, precor inuiolabile pectus,  
Ne labor assiduus, nostraq; cura ruant.

Nos autē in nomine Dei nostri inuocabimus.



UNIVERSIDAD  
DE SALAMANCA  
GREDOS USALE

CLARISSIMO S. E. R. PRIN  
cipi Præsbytero Cardinali Gasparo de Chyro-  
ga, Archiepiscopo Toletano, summo de fi

de Quæsitori Hispaniarum Primario,  
bonarum literarum Patrono. M.  
Ioann. Lupus de Hoyos.  
S. P. D.



I MIHI IN HAC PETI-  
tione cōtigisset (clarissime Prin-  
ceps) in conspectu tuo verba  
facere, omnium fortunas supe-  
rassis viderer, cum propter tuā  
veterem in me benevolentia,  
tū propter tua præstantissima animi ornamenta,  
& eruditionem eximiam, qua non apud nos mo-  
do, sed apud exteris natiōnes florere contéplor.  
Quæ enī per Deum immortalem contingere  
potuisset, aut homini maior laus, aut ciuitati glo-  
ria, aut patriæ claritas, quam illius clarissimi Prin-  
cipes voce, testimonio, aut præsentia decorari,  
quo neminem per vniuersum terrarū orbem sol  
viderit, aut sapientia parem, aut animi magnitu-  
dine clariorem? Verum cum me vel ad tuam in  
bonas literas humanitatem, vel, ad fumosas  
maiorum tuorum imagines, vel, denique ad  
tuum clarissimum imperium, quo summacum  
prudentia cuncta moderaris, sapienter regis, &  
vnice



UNIVERSIDAD  
DE SALAMANCA  
GREDOS USAL.ES

vnicè gubernas, referto, in eam animum meum in  
duxis sententiā, vt præclarum exitum tua mihi p̄e  
stantia, atq; celsitudo polliceatur. Cū enim intra  
curriculū, atq; viginti quatuor horarū spatiū To-  
leti, pro ingenij mei tenuitate, de donis Diuini nu-  
minis esset dicēdum, quod mihi sorte euenit, nec  
meā ibi Bibliotecā, nec sacra volumina, quibus in-  
terdum recreor, præ manibus haberem, contu-  
li continuo me ad Sanctarum scripturarum fidos  
interpretes Diuos Aurelium Augustinum, Chry-  
sostomum, Thomam, Ambrosium, Basiliū, quo-  
rum doctrina, atq; diuino numine effectum est,  
vt quæ longa vigilia, atq; lucubratione exaraue-  
ram, cum in conspectu Criticorum Iudicium lite-  
ratissimorum, quos ad hoc munus destinaras, re-  
citarem, Dei Opt. Max. benefitio, vt ex cōmuni  
omnium opinione dicerē, datum est.

Cū ea mihi seges oblata esset, in qua difficilius  
esset exitū quam principiū inuenire, ad duos dū-  
taxat quæstionū Theologarū angulos, (quod dif-  
ficilimum in tam vasto diuinorum literarum p̄e-  
lago videbatur) reuocaui, quas in tuam gra-  
tiam Patrone clarissime (ne meis lituris tuos ocu-  
los offendere viderer) typis mandare decreui, tua  
sapientia, magnanimitate, temperantia, atq; iu-  
stitia fretus, quibus tantum ab ineunte ætate tete  
consecrasti, vt in iustitiæ studium omnes tuas cu-  
ras, cogitationes, labores, vigilias, omnia deniq;  
vitæ commoda consumeres: ea namq; te Princi-

peni.

pē S.E.R. creauit, ornauit, ad summāq; amplitudi-  
nē decoris & dignitatis euexit, ea Reip. Ecclesiasti-  
ce vulnera sanat, pacem & otium cū dignitate cō-  
stituit, vires totius imperij firmat, omnium opes  
auget, Dei q; Opt. Max. numen pie ac sancte ve-  
neratur, nemo deniq; iustitiam colere potest, qui  
non fuerit & sapiēs, & fortis, & moderatus. Hinc  
Regum maiestas orta est, hinc tandem gloria im-  
mortalis illuxit. Contra vero præcipitata iudicis  
volūtas (vt apud tuos iurisperitos) est nouerca iu-  
stitiæ, euertit enim omnem ciuilis atq; domesti-  
cæ disciplinæ rationem, iuris & quicatem oppug-  
nat, fidei sanctitatem violat, amoris & amicitiæ  
rationem labefactat. Tuæ igitur Cardinalis Am-  
plissime sapientiæ atq; iustitiæ opes meum ani-  
mum iacentem in spem erexerunt meliore. Quā  
obrem te precer obtestorq; Princeps clarissime,  
ne patiaris nostram famam tot vigilijs, & lucu-  
brationibus in tuto collocatam, alicuius maleuo-  
li morsibus, (quorum vbiq; magna copia est) im-  
pudenter oblitterari. Neve sinas (quæ tua est in bo-  
nas literas humanitas) militem veteranum partæ  
iam gloriæ, & existimationis naufragium facere.  
Quod si (vt spero) fiet, & me moderatum hominē  
ingenij mei opibus diffidentē benigne fueris cō-  
plexus, dabo sedulo ac diligenter operam, vt nec  
te consilij, nec me laboris pœnitentiat, Vale igitur  
Cardinalis Amplissime nostræ ætatis decus, & to-  
tius Hispaniæ ornamentum, quem Deus Opti.

A 3

Max.



Max. prouehendis, iuuandisq; bonis literis multū  
diuq; tueatur in columem.

*Qui bene præsunt præbyteri duplii honore digni habentur,  
maxime qui laborant in verbo & doctrina.*

*1. Timoth. 5.*

**NARRATIO IN DISTINCTIO-**  
**N**em 34. tertij voluminis sententiarum, quæ  
sorte interpretanda contingit Magistro Ioáni Lu-  
pode Hoyos Toleti. 19. Cal. Februarij, Anno ab or-  
be redempto. 1580. habita die sequenti hora tertia  
post meridiem in Amplissimo Deipare Virginis  
Mariæ delubro, coram clarissimis, & literatissimis  
viris. D. Doctore Ioanne de Obregon Illustrissimi  
ac Reuerendissimi D. D. Gasparis de Chyoga Car-  
dinalis Toletani Vicario, ac almæ Ecclesie Toleta-  
næ Canonico, D. D. Doctore Garsia de Loaisa Gi-  
ron eiusdem delubri Præfecto maximo, & D. De-  
signato Alphōso Serrano clarissimi Cardinalis Se-  
natus Consiliario, & F. D. Antonio Manrique Frā-  
ciscano, & F. D. Marco de Valladares Dominica-  
no Theologiæ Cathedræ moderatore, eisdemq;  
sacro Toletano de fide Senatui assessoribus, & in  
petitione benefitorum iuxta seriem Concilij Tri-  
dentini, examineribus designatis.

Adhibitis beneficiorum candidatis, ac multis  
alijs literarum cultoribus actum decorantibus.

## ENARRATIO THEOLOGIÆ ga in. 3 4. distinctionem.

### 3. Sententiarum.



**LARISSIMUS ILLE**  
Philosophia Princeps Plato, quem  
propter ingenius animi dores, diuus  
Aurelius Augustinus in de ciuitate  
Dei, frequenter diuinum appellauit,  
vniuersam sui temporis Theologiam  
in quatuor diuisit partes, in Monasticam, quæ in diuini nu-  
minis contemplatione sita, & collata est, vbi de animorum  
immortalitate, multis rationibus ab intimis totius Philo-  
sophiae visceribus deductis longe lateq; disputat. In eamq; Phi-  
losophiae partē, quæ de Philosophico auditu, de ortu & interi-  
tu, de generatione & corruptione, de metheorologicis (ve  
aiunt) impressionibus, latissime disputat. Tertio in øco-  
nomicam, quæ de regimine priuata domus agit. Tandem  
in Polyticam, quæ in bene constituta republica, & vrbe cla-  
rissimis ciuium moribus, & institutis illustrata, aperte pro-  
spicitur. Non aliter P. C. præstantissimus Magister senen-  
tiarum Petrus Lombardus Parisiensis Episcopus vniuer-  
sam diuinam Theologiam sacras & archanas literas qua-  
tuor libris (quibus sententiarum nomen est diffutum) eru-  
dente admodum complexus est.

**PRIVS** in diuini numinis contemplatione versa-  
tur. Cum enim Deus op. max. sit Alpha & Omega, prin-  
cipium nimirū & finis, ve pulchre testatur diuus Ioánes 21.

Philosophia i  
quatuor partes.

i. sententiarum  
idea.

UNIVERSIDAD  
DE SALAMANCA  
GREDOS USAL ES

## ENARRATIO THEOLOGA

*Apocalipseos, sapientissimo circulo, & diuinæ Theologia orbe, quo pacto à Deo egredimur, & in ipsum regrediamur (cum omnium rerum caput atq; meta videatur) his quatuor voluminibus ostenditur. In primo denique de eius diuinitate diseritur, qua ratione in se ipso existat, quomo<sup>i</sup>do Pater à nullo, Filius à solo Patre, Spiritus sanctus ab utro que immediate procedat. Denique quam sapienter omnia gubernet, suauiter disponat, & vnicce modereatur, vt ex creaturarum præstantia intelligatur conditor æternus, ex magnitudine omnipotens, ex ordine & dispositione sapiens, ex totius vniuersi gubernatione bonus, facile intelligatur, quod sanctarum scripturarum fidus interpres Paulus primo. Ro.*

*genes. c. i.  
August. in lib. de  
de ad Petrum.  
ap. i. ad finem.  
August. 15. lib. de  
Trini. cap. 17.*

Sapientia. 8.

*August. de Trini  
a. 6. cap. 10.  
relius Augustinus lib. 6. de Trinitate, Cap. 10. enarrans  
asserit, Opportet, vt crearem per ea, quæ facta sunt, intellecta confidentes Trinitatem intelligamus.*

*Idea. 2. sententia  
rū de creaturis. IN altero de creaturis, quaratione ab ipso rerū omnium conditore & preclaro opifice dimanare, atq; profici si videantur, qui cum sue sapientia opes cōmunicare, & in complu-  
res diffundere statuisset, principio mundū inuisibilem crea-  
uit, altissimis mentibus illustratum, quæ lucem illam diui-  
nam perpetuo contemplantes, vita beatissima, & quoq; sempi-  
terno fruerentur, ad quam tamen immortalitatis gloriam non omnes peruererunt, sed illæ duntaxat, quæ non tan-  
tum luce propria delectat, quantum lucis auctore & prin-  
cipe, omne incolumentatis præsidium, & vita finem in domi-  
no constituendum esse, arbitratæ sunt. At, quæ nimium se amantes, & tanto decore lenocinantes, in Dei negligentiam*

pro-

## IN. 34. D. 3. SENTENTIARVM.

*prolapsæ sunt, & culu Dei Op. Max. omniū parentis omis-  
so, omne bonum à se ipsis petendum statuerunt, propriæ na-  
ture quasi diuinitatem tribuentes, illa luce, qua erant indi-  
gnæ, penitus orbacæ, superbia, atque temeritatis pennis reso-  
lutiis in sempiternam miseriam, & perpetuæ noctis tenebras  
præcipitatae sunt. Postea vero hūc rursus, quem oculis intue-  
mur, quem tam admirabili rerum omnium varietate, &  
pulchritudine distinctum & excultum contemplamur: ad  
cuius operis fabricā, & magnificum ornatum, non alijs ma-  
chinis vñus est, quā propria voluntate, nam (vt pulchre facetur  
diuus Aurelius Augustinus) Perfici aliquid ab eo nihil Iacobi. 1.  
aliud est: quam verbo præcipi, hoc est, sapientia æternæ con-  
silio, quod ab infinito tempore destinarat, ad exitum tādem  
deducere, iuxta illud Regij vatis, Ipse dixit, & facta sunt,  
ipse mandauit & creata sunt. Quod non alia ratione tam  
illustrem rerum cælestium speciem, tantam vim maris, atq;  
terrarum creauit summus ille rerum conditor, (cum illius  
immensa sapientia sit, nihil inane, & sine causa molliri)  
quam hominis causa, corporis & mentis compotis, & ex his  
duabus naturis constituti, vt & sensibus mundi pulchritu-  
dinem animaduerteret, & mentis aspectum ad tanti mune-  
ris artificem conuertere potuisset. Verum cum in honore  
esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus,  
& similis factus est eis, nam cum princeps ille tenebrarum,  
auctor impietatis, & sceleris videret hominem, humo excita-  
tum, vt aspiraret ad eam gloriam, vnde se deiectum cognouit,  
æstuauit inuidia, & hominis interimendi, & funditus ei er-  
tendi, consilia suscepit, atq; serpentis formam gerens, fraude  
conficitisq; dolis mulierem aggreditur, quam nouerat pro-  
pter*

*Apoca. 12.*

*Esaia. 14.*

*Iacobi. 1.*

*Psal. 32.*

*Arist. Deus & tura nihil faciu stra.*

*Gen. 1. in fine.  
Roma. 1.*

*Psalm. 48.*



*UNIVERSIDAD  
DE SALAMANCA*

*GREDOS USAL.ES*

## ENARRATIO THEOLOGA

infirniorem naturā facilius labi & decipi posse, quam verbis allicit & horretur, ut fructum illum vetitum decerpatur, futurum namque pollicebatur, ut vbi primum suauissimi illius mali gustum perciperet, ad diuinam continuo boni, & mali scientiam perueniret, mulier igitur, quae arboris pulchritudine vehementer erat affecta, & ad diuinæ scientia cupiditatem exarserat, facile moriferū illud Anguis tertiū venenum exausit. Atque imperio Dei Op. Max. cuius benignitate fuerat in luce ædita, neglecto, hostis pestiferi sequuta consilium virum ad easdem funestas epulas induit. Hinc origo humanae miseriae, hoc malorū omnium seminariū, hinc illæ lachrimæ, hinc mortis initium, quæ postea magis inualuit, & crudeli dominatu terras universas oppressit.

CUIUS morbi vis tantum creuit, atque peccati magnitudine tanta fuit, ut illius leuanda ægritudinis ratio non facile inueniri potuisset, nisi cœlestis ille medicus nouū quoddam medicinæ genus diuinū ac singulare adhibuisset, quo nō modo quod peccato & morbo fuerat dilapsum resarciret, sed multis opibus atque virtutibus pristinā sanitatem amplificatā restitueret, hæc erat illa sempiterni patris sempiterna sapientia, hic ille sempiterni patris sempiternus filius, paterni splendoris effigies, vita & immortalitatis fons, caput, atque principiū, qui à cœli vertice delapsus veram hominis formam, sua benignitate suscepit, atque naturā humānā, in illa diuitatis maiestate permanens, inaudita quadam ratione sibi conciliauit, ut hominem, quem specie quadam diuinitatis impresserat, peccati, ac mortis laqueis implicatum, varijs ærumnis, & calamitatibus circumuentum, expediret, & in veterem liberat-

## IN. 34. D. IN. 3. SENTENTIARVM.

bercatem diuino beneficio vindicaret, ut sic tandem potuisse homo tetra peccati tyrannide liberatus, antiquæ dignitatis & splendoris ornamenta recuperare, & ad beatitudinis patriam feliciter peruenire, quæ omnia quadraginta distincta eruditissime tradidit Magister sententiarum.

POSTREMO in. 4. de Sacramentis agitur, quibus veluti per quosdam gradus ad beatitudinem perducimur, atque in illum omnium bonorum fontem inexhaustum atque perennem unde profluximus, & cuius beneficio conseruamur celeri conuersione reuertimur. Iuxta illud diui Aureli Augustini. Fecisti nos domine à te, & non quietum erit cor nostrum, donec reuertamur ad te. Itaque sicut secundus ad primum, sic se habet ad. 3. quartus, nam sicut mundi creatio est opus absoluti Dei, sic hominis reformatio per sacramenta est opus incarnati Dei.

IN HOC igitur amplissimo diuinæ Theologiae pelago, ut sine cortice natare possumus, nostraque differendæ ratio secundis diuini numinis statibus feratur, eius auxilium in primis imploro, quo facilius de sepe eis donis, (quod disputandi genus, mihi se hodierno die diuino beneficio obtulit) agere in presentia possumus.

SI quid tamen grauiissimi Patres inter dicendum, aut disputandum exciderit, quod non ortodoxæ sanctæ Romæ ne ecclesiæ, atque catholicæ fidei respondere videatur, irritum prorsus esse volo, eiusque sanctissime discipline me me trado atque committo.

Epitome

Lucæ. 4.  
Mala. 4.  
Zachari. 3.  
Hierem. 18.  
De vase.  
Psalmus. 29.  
Lucæ. 1.  
Quarti idea.  
Roma. 11.  
A Deo egred  
mūr, & in ipsu  
regredimur.



# EPITOME TRIGESSIMAE quartae distinctionis tertij libri Magi- stri sententiarum de septem donis Spiritus Sancti.

**P**OSTquam in superiorib⁹ de virtutib⁹ Theologicis, & Cardinalibus, quas vocant, Magister disseruit, hac trigesima quarta distinctione de donis Spiritus Sancti disputat, atque ut cōpendiose agamus, tria potissimum inuestigare nititur,

**PRIMO.** An dona Spiritus Sancti sint virtutes.

**SECUNDO.** An in patria maneant.

**TERTIO** & vltimo. An in Christo Opt. Max. seruatore nostro huiusmodi dona sint cōcedenda. Ad hæc tria tribus respōdet conclusionibus.

## PRIMA CONCLVSIONE.

**DONA SPIRITVS SÆCTI** sunt virtutes. Hanc nō probat Magister, sed vt notam & absolutam intermittit.

## SECVNDA CONCLVSIONE.

**DONA SPIRITVS SÆCTI** manent in patria. Hac probat auctoritate diuini Ambrosij primo libro de Spiritu Sancto cap. 20 & vltimo initio capituli Tom. 2. vbi quadam collatione à fluminis inundatione petita, aperte indicat in Angelis abundantissime reperiri, nam plenitudine septem spiritualium virtutum illuminantur, & effusione quadam sanctificationū bertate lētificantur, quæ septem dona ab euāgelico vate Esaia vndecimo cap. enumerantur, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, & Spiritus timoris domini.

## TERTIA CONCLVSIONE.

**HAEC DONA SPIRITVS SÆCTI** in Christo seruatore nostro sunt concedenda. Hanc Magister clarissimo Esaic vaticinio citato confirmat. Egredietur (inquit) virga de radice Iesæ & flos de radice eius ascedent, & requiescat super eum Spiritus domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, & Spiritus cōsiliij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & repleuit eum spiritus timoris domini.

**SE D** quoniam acerbum admodum videtur, in Angelis & in Christo potissimum, timoris spiritum concedere. Argumentatur Magister ex venerabili doctore Beda, hac ratione. Omnis timor in futuro cessabit, ergo & spiritus timoris. Optimū est entimema, & probatur antecedens ex prima canonica diuī Ioannis cap. 4. Perfecta charitas foras mittit timorem, perfecta autē charitas illa est, quæ in patria: ergo.

**QVOD V T** Argumentum soluat quatuor modis hanc vocem timorem enarrat, diuidit enim timorem primo in humanum, qui (vt inquit Casiodorus super Psalmū. 127) est tumor qui habetur de huius vitæ in cōmodis periculis, calamitatibus & bonorum iactura, quem Christus Opt. Max. prohibet & expedit in Euangelio Matthæi. 10. & Lucæ. 12. Nolite (inquit) timere eos, qui occidunt corpus. &c.

**SECUNDO**, In timorem seruilem, quo retardatur homo à scelere patrādo, non timore amittendi æternum bonum, quod nō amat, sed timore patiënti malum, quod formidat, non tandem timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam, vt patet apud Augustinum super Psalmum. 127. qui timor tametsi probetur, non sufficit ad salutem.

**TERTIO**, In timorem initialem, quo timemus peccare par tim timore & formidine poenæ, partim amore patriæ, & incipit excludi timor à charitate, de quo regius vates idemq; Propheta David, Initium sapientiæ timor Domini. Psal. 110.

**QVARTO** In timorē filialem, qui est timor culpe propter Deum summe dilectum, quo partim timemus ne Deum offendamus, partim ne ab illo separemur, tandem eum reuereri nos facit, qui manet in sæculū sæculi, & appellatur ab Euāgelico vate Esaia Spiritus timoris, qui manet in patria, non secundum illos duos gradus, quibus timemus offendere, aut à Deo separari, sed secundum illum gradum, quo in huiusmodi timore reuerentiam filialē percepdimus, qui etiam fuit in Christo secundum illud Apostoli ad Hebræos quinto dicētis de Christo seruatore nostro, Qui exauditus est pro sua reuerētia, qua distinctione, illas duas auctoritates conciliat Magister argumentum diluens. Primam Ioannis, prima Canonica cap. 4. Perfecta charitas foras mittit timorem, & alteram Regij vatis Davidis testat̄is. Timor Domini castus permanet, in sæculum sæculi, nā prima de timore seuili, altera de filiali intelligenda est.

Timor quadriplex.

Conciliatio Ioh.  
& Davidis.



UNIVERSIDAD  
DE SALAMANCA  
GREDOS USAL.ES

## ENARRATIO THEOLOGA

Hæc igitur est idea, & totius huius  
34. distin. Epitome.

NAM quæ longe lateque, & diffuse nimis magister  
in medium attulit, Nos grauissimi Patres in vestram gra-  
tiam summa qua potuimus breuitate complexi sumus.

MULTA AC VARIA SE SE NO-  
bis sponte disputanda offerunt, quæ non vulgarem Theo-  
logum, sed clarissima illa ecclesiæ lumina D. D. Augu-  
stinum, Chrysostomum, Ambrosium, Thomam iure opti-  
mo efflagitabant. Verum nos Dei Optim. max. fauore con-  
ciliatio pro exigua nostra portione vnam, aut alteram ex  
his, quæ hinc, & inde suboriuntur, quæstionibus breui-  
ter persequemur.

UTRUM dona Spiritus sancti sint virtutes, de qua  
prima secunda, q. 68. articu. 1. Diuus Thomas sapien-  
ter disputat.

### SECUNDA.

AN sint septem dona duntaxat, de qua diuus Thomas  
p. 2. q. 68. articu. 4.

### TERTIA.

AN in patria maneant, de qua diuus Thomas. p. 2.  
questi. 68. articu. 6.

### QUARTA.

UTRUM timor seruilis sit bonus, de qua Thom. 2. 2.  
q. 19. articu. 4.

### QUINTA.

AN timor seruilis, initialis & castus differant inter  
se

## IN. 34. D. 3. SENTENTIARVM.

Se, & quo modo distinguantur, de qua Thom. 2. 2. quest.  
19. articulo. 8.

### SEXTA.

UTRUM crescente charitate, decrebat timor, quod  
diuus Thom. 2. 2. q. 19. articu. 10.

### SEPTIMA.

AN huiusmodi dona sint in Christo seruatore nostro  
concedenda, de qua diuus Thom. 3. p. q. 7. arti. 5.

QUÆ Omnia si (ve par erat) suo ordine persequi vo-  
luissim, ab initio totius negotij diffusa nimis esset dicendi  
ratio, sed primam, propter præstatiæ, & difficultatem exi-  
miam, & ultimam, propter enarrationem multarum senten-  
tiarum, quæ non nihil utilitatis, & commodi præferunt,  
si per tempus licuerit, enarrabo.

### PRIMA igitur questio est.

Vtrum, Dona Spiritus sancti sint virtutes.

IN hac enarrâda questione quatuor mihi sunt peragèda.

In primis adducam argumenta contraria.

Deinde aliquot notata à diuinis literis deductaproponâ.

Tertio respondebo questioni.

Quarto argumenta diluere conabor.

Primo igitur sic argumentor.

EA sunt idem, quorum eadem est definitio, sed virtu-  
tum & donorum eadem est diffinitio, ergo dona sunt virtu-  
tes, colligèd' ratio legitima est, maior ex Aristotele constat,  
& probatur minor. Virens secundum Augustinū, est bo-  
na qualitas mētis, quarecte viuitur, quanullus male vicitur,  
quam Deus in nobis, & sine nobis operatur, hac autem  
definitio conuenit donis Spiritus sancti, ergo.

Libr. 2. de liber  
arbitrio. cap. 1.  
& lib. 1. retract.  
tionum. cap. 9.

Sic

# ENARRATIO THELOGAMI

## 1. Sic argumentor.

**D O N A** Spiritus sancti nominantur sapientia, intellectus, scientia, fortitudo, consilium & prudentia, et autem sunt virtutes, ut constat 3. & 6. Ethicorum. Ergo dona non distinguntur a virtutibus, & confirmatur auctoritate Magistri, hac distin. qui huiusmodi dona appellat virtutes.

## Quo ad secundam partem suscepta disputationis.

**P R I M O** Notandum est, hoc nomen virtus plurimis usurpari modis in diuinis eloquijs, Gabriel in 3. distin. 23. q. i. connumerat decem modos, nos tamen compendiosus agentes ad quatuor modos redigimus.

**P R I M O** igitur sumitur pro perfectione potentiae, quae ipsam ad bene operandum perficit.

**S E C U N D O** sumitur pro actione, & opere ipsius virtutis, ut in illo Marci. 6. Et non poterat ibi virtutem ullam facere, id est opus ingentis virtutis, & miraculi, & illud in eodem cap. Unde huic sapientia & virtutes, id est miracula prodigia, & clarissima facinora?

**T E R T I O**, usurpatur pro obiecto, & materia virtutum, unde est illud Aristotelis. i. de caelo virtutem definientis, Virtus est ultimum potestia, id est, ultimum in quod una quaquam res potest, quo intellectu, & significatione solamus dicere virtus huius ganeonis est, ut portet duo trianè talenta, unde Aristoteles. i. Ethico. Operatio non est sine virtute, quo etiam intellectu est illud Iohelis. 2. cap. Ficus & picea dederunt virtutem suam, id est tulerunt fructus, quos poruerunt.

Quarto

## IN. 34. D. IN. 3. SENTENTIARVM.

**Q U A R T O** Ultimo modo in diuinis literis accipitur pro potentia, præstantia & robore, ut patet apud Paulum ad Romanos. i. Non erubesco euangelium, Dei enim virtus est, in salutem omni credenti, id est potentia, & præstantia Dei est. Et Corinthiorum. i. Verbum crucis per cunctibus stultitia est, his vero qui salvi fiunt virtus, & cap. 2. Non in persuasibilibus humana sapientia verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis, quod etiam Regius ille vates idemq; Propheta David, Non saluatur (inquit) Rex per multam virtutem, nec Giga saluabitur in multitudine virtutis sua, id est, non in robore præstantia, & fortitudinis membrorum.

Quando igitur querimus, an dona Spiritus sancti sine virtutes in prima acceptione summimus, secundum quam Virtus est bona qualitas mentis, quarecte viuitur quam Deus in nobis, & sine nobis operatur, ut inquit Augustinus, secundo lib. de libero arbitrio. cap. 19. & lib. i. retractionum. cap. 9. Secundo, tertio & quarto modo non est a ratione alienum dona Spiritus sancti vocari virtutes. Et sic in hac distinctio. intelligendus est Magister quando dona appellat virtutes.

**S E C U N D O** est mirum in modum aduertendum in homine esse quatuor moderatores, sive gubernatores, sive motores, quatuorū principia, quibus dirigitur aut illustratur in suis operibus ex parte facultatis cognitiue, quae ratione quatuor etiam legibus morem gerere videatur.

**P R I M U M** est sensus, cui respondet lex concupiscentiae, quam Paulus ad Roma. 7. vocat legem membrorum id est amantem peccati voluntatem, habitudinem propen-

## ENARRATIO THEOLOGA

sionemq; ad malum, quæ in nobis per consuetudinem callos obduxit, Video (inquit) aliam legem in membris repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.

SECUNDU M principium est ratio, cui lex humana respondet, quæ iubeta, quæ facienda sunt, prohibetq; contraria, cum sit regula & mensura actuum agendorum, vel omnitorum (ut verbis utamur) diuī Thoma. I. 2. q. 90. articulo. 1.

TERTIO est fides, cui lex diuina respondet, qua cogitamus, cum assentione ea, quæ ad christianam pertinente religionem, ut testatur Augusti. est quæ habitus mentis, quo inchoatur vita eterna in nobis, faciens intellectum assentire non apparentibus, ut præclare ostendit diuus Thomas, iuxta illud Pauli ad Hebr. II. Fides est substantiarerum sperandarum argumentum non apparentium.

QUARTO est inspiratio Spiritus sancti præter communem legem, cui lex eterna duntaxat respondet.

PRIMUM principium est commune nobis & brutis, quæ sensu & voluptate ducuntur, quod, qui sectantur bruti & iumenta in diuinis literis appellantur.

SECUNDU M constituit, & efficit nos ciuiles urbano & naturæ legibus Illustres, cum homines insituis bestiarum more vagantes vnu in locum compulerit & in ciuilis vitæ societatem vocauerit, siquidem illud est lege naturæ insitum Neminem ladere, Unicuiq;, quod suum est dare, & Quod sibi non vult, alteri non facere.

TERTIUM reddit nos pios Christianos fideles cū sit humanae salutis initii, sine qua nemo ad filiorū Dei numerum

## IN. 3. D. IN. 3. SENTENTIARVM.

rum potest peruenire, sine hac omnibus hominum labor vacuus est, ut Augusti. de fide ad Petrum, & super Ioānem sermonē. I. 8. ambula (inquit) per fidem ut peruenias ad spem, spes non ædificabit in patria, quem fides non consolatur in via.

QUARTU M principium constituit nos & efficit diuinos hæroicos, & maiora humanis concipientes.

EST tertio notandum & perpendendum, vnumquodq; horum quatuor principiorū habere priuatū suū regnum & imperium ultra quod non progreditur.

SENSU S nimirum ad sensibilia tantum tendit, in quorum cognitione si decipitur ab intellectu corrigitur, vel si iudicet sensus, per errore, baculum immersum aquis esse fractum, cum non sit, continuo ab intellectu corrigitur, & a deceptione reuocatur.

SECUNDU M principium protendit ad omnes veritates humanas, in quarū rerum cognitione si decipitur, à fide corrigitur: quemadmodum intellectus per errorem indicat virginem non posse parere, & Deum non posse mori, in quo errore à fide corrigitur, quæ captiuat (ut testatur Paulus) intellectū in obsequium Christi, & euertit omnem scientiam exollentem se aduersus scientiam Dei, & ut Au gustinus de Agone. c. 18. Fides est quæ subiugat animam Deo. Deinde præcepta dat viuendi, quibus custoditis, spes nostra firmatur, & nutritur charitas, & incipit lucere quod ante tantummodo credebatur, cum ergo cognitio & actio hominem beatum faciant, sicut in cognitione cauendus est error, sic in actione cauenda est nequicia.

TERTIU M principiū proteditur usque ad cœlos, & usque ad interiora vel amnis (ut Paulus affirmat) Et ad ea Hebreo. 5.

## ENARRATIO THEOLOGA

que nemo nouit nisi Spiritus Dei qui in ipso est, nobis autem  
reuelauit Deus per Spiritum suum. De quo principio & gu-  
bernatore afferit Paulus, Iustus autem meus ex fide viuit, sed  
quoniam hoc principium imperfecte & obscure a nobis parti-  
cipatur, necesse fuit, ut nouis illustrationibus, & inspira-  
tionibus a Deo illuminaremur & deduceremur per vias re-  
tas, ut Ephesibus a pedagogo, & propterea opera pretium fuit  
statuere quartum principium, quod pertinet ad dona Spi-  
ritus sancti, quibus afflammur & ad stupenda & clarissima  
quaquam inflammar, quorum homo non valer reddere ratio-  
nem. De quo principio intelligitur illud Pauli ad Romanos  
octavo dicentis. Qui spiritu Dei aguntur, iij sunt filii Dei, cu-  
ius verbi vim si perpendamus facile comperiemus, hoc di-  
uinum Spiritus sancti principium. Agitur (inquam) ideo  
intus secreto diuino numinis afflatus mouentur, quod etiam  
testatur Regius vates, Spiritus (inquit) tuus bonus dedis-  
cer me in terram rectam, & illud Mathei. 10. Nolite co-  
gitare, quo modo aut quid loquamini dabitur enim vobis in  
illa hora quid loquamini, Non enim estis vos qui, loqui-  
mini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis, & il-  
lud Lucae. 12. Nolite solliciti esse qualiter, aut quid respon-  
deatis, aut quid dicatis Spiritus enim sanctus docebit vos  
in ipsa hora, quid opporecat vos dicere.

EX HIS enim facile perspicitur, quod ut recte mouea-  
tur animus a primo illo principio, aut gubernatore, assignan-  
da sunt vires sensitiae, ut autem bene moueat a secun-  
do assignanda sunt virtutes humanitas parte atque ad-  
quisita, ut vero recte moueat a tertio, hoc est, a fide consti-  
tuimus, & adhibemus virtutes Theologicas & Morales

ebræ. 10. &  
oma. 1.

almus. 142.

dini-

## IN. 34. D. 3. SENTENTIARVM.

diuinatus infusas. Tandem ut bene beateq; mouetur a quarto  
gubernatore, atq; principio statuimus dona Spiritus sancti.

EX HIS principijs atq; fundamentis facile percipere  
poterimus discrimen inter dona & virtutes, nam virtutes  
perficiunt hominem secundum normam rationis humanae,  
donaverò secundum impulsum Spiritus sancti.

PRAETEREA virtutes humanae perficiunt homi-  
nes modo humano, donaverò perficiunt hominem modo su-  
pernaturali.

TERTIO, In operibus virtutum, habet se homo actiue  
consultando, horcando, deliberando, in donis vero Spiritus  
sancti, potius se habet passiu, & agitur potius, quam agat, &  
est patiens diuina non agens. Denique virtutes & dona ha-  
bent se sicut superius & inferius. Nam omnis virtus est do-  
num, sed non omne donum est virtus. Unde aperte sequitur  
non conuenire donis Spiritus sancti definitionem diuii Au-  
gustini, qua dicitur, Virtus est bona qualitas mentis, qua re-  
cte viuitur, qua nullus male vitur, qua recte homo dirigit  
suas actiones ad bene beateq; viuendum.

Aperte insuper inseruntur sapientiam, consilium, pietatem & ceteras, aliter appellari virtutes, & aliter dona,  
sunt enim virtutes, quatenus disponunt hominem ad be-  
ne operandum, sunt autem dona quatenus per illa illumi-  
natur homo, & agitur a Spiritu sancto ad maiora viribus  
agredienda.

His igitur sic habitis, quæstioni dua-  
bus conclusionibus re-  
spondetur.



ENARRATIO THEOLOGA  
PRIMA CONCLVSIO.

DONA Spiritus sancti sunt virtutes ad hunc sensum,  
quatenus virtus accipitur pro heroico opere, praestantia &  
Dei potentia.

Probatur conclusio. Nam huiusmodi dona sunt, quibus  
homines ad opera heroicā, stupenda, diuina & maiora viri-  
bus humanis diuino numinis afflato mouētur, quibus Ste-  
phanus (ut habetur in Actis Apostol. cap. 6.) inflātus,  
plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia, & signa ma-  
gna in populo & paulo inferius. Et non poterant disputan-  
tes cum Stephano resistere sapientiae, & Spiritui, qui loque-  
batur: propter quod redarguerentur ab eo cum omni fidu-  
cia. En qua ratione ageretur & inflāmaretur ad illa claris-  
sima opera adenda diuino numine.

SECUNDA CONCLVSIO.

PROPRIE loquendo de virtutibus, ut definit Au-  
gustinus, Dona non sunt virtutes.

PROBATUR compendiose satis, non conuenit illis  
definitio ergo, nam virtus est, quare recte vinitur, qua nullus  
male vitur, quam Deus in nobis & sine nobis operatur,  
hoc est, qua se homo actiū parat ad recte operandum, sed  
dolis Spiritus sancti non se disponit homo, sed potius dispo-  
nitur ab eis, ergo dona non sunt virtutes, & insuper con-  
firmatur, quia dona dantur in adiutorium virtutum con-  
tra defectus, ut perficiāt, quod virtutes consequi nō possunt,  
sunt ergo dona potiora virtutibus.

IN. 3. D. IN. 3. SENTENTIARVM.

Quo ad quartum membrum enar-  
rationis, quo argumentis  
respondeatur.

AD primum dicitur, Quod virtus est bona qualitas  
mentis, qua homo recte vivit humano modo, & sic non con-  
uenit donis, quibus vivitur modo diuino & super humano.  
Unde (ut superius diximus) Omnis virtus est donum, non  
tamen omne donum est virtus. Et secundo responderetur, quod  
virtus est, qua homo se disponit active, Donum vero, quo agi-  
tur & disponitur passiue.

AD secundum responderetur. Quod illa dona diuini Spi-  
ritus, quae sunt supranos, non cognoscimus, nisi ex his, quae  
nobis p̄ae oculis versantur, & hac ratione dona Spiritus  
sancti vocantur eisdem nominibus, quibus aliquae virtutes  
appellantur apud nos, non tamen haec nomina dicuntur uni-  
uoce de virtutibus & donis, ad reliqua autem, iam ex su-  
perioribus satis abunde patuit responsum.

VLTIMA QVÆSTIO.

Vtrum haec dona Spiritus sancti, sint in Christo  
seruatore nostro concedenda.

QUANDO QUIDE M, grauissimi Patres, huc  
me sermonis cursus prouexit, oneri potius ipsi succumbam,  
quam aliquid intentatum omissam, vestra igitur huma-  
nitate fretus, quæ me hactenus dicentem prosecuti estis:  
breuiter, quæ dicenda sunt, persequar.

ATQUE in hac quæstione, tria tantum absoluam, quan-  
doquidem in extu Magistri quæstioni satisfecisse videor.

## ENARRATIO THEOLOGA

IN primis quatuor argumenta proponam, quibus contraria partem tueri conabor.

SECUNDO, quæstionem diluere una aut altera conclusione contendam.

POSTREMO, argumentis satisfaciam.

### Primum argumentum.

IN CHRISTO non sunt dona Spiritus sancti concedenda, & probo. Dona dantur in adiumentum virtutum, sed id quod est in se perfectum non indiget exteriori auxilio, in Christo fuerunt virtutes perfectæ, ergo non indiguit donis, igitur in eo non sunt concedenda dona.

### Secundum argumentum.

SECUNDO sic argumentor, Non est eiusdem dare, & accipere, quia dare est habentis, accipere autem indigentis, sed Christo conuenit dare dona, iuxta illud psalmi, dedit dona hominibus, ergo non est consentaneum accipere dona Spiritus sancti.

### Tertium argumentum.

TERTIO, sic argumentor, In Christo non fuit donum timoris, ergo in eo non sunt dona concedenda, & probatur, spes est potior, quam timor, nam spei obiectum est bonum, timoris vero malum, sed in Christo non fuit virtus spesi, ut probat Diuus Thomas tertia parte. q. 7. articulo. 4. Ergo non fuit donum timoris.

### Quartum argumentum.

QUARTO, & ultimo, sic argumentor, Dono timoris timer aliquis, vel separationem à Deo, quod pertinet ad timorem

## IN. 34. D. IN. 3. SENTENTIARVM.

morem filiale, vel timer ab eo puniri, quod pertinet ad timorem seruilem, sed Christus non timuit separari à Deo per peccatum, nec etiam puniri ab eo propter suam culpam, quia impossibile erat ei peccare, Ergo in Christo non fuit donum timoris.

His ergò habitis respondetur ad quæstionem duabus conclusionibus.

SIT PRIMA CONCLUSIO, IN Christo Opt. Max. seruatore nostro, cum perfectissimè à Spiritu sancto moueretur, sunt præstantissimè Sancti spiritus dona.

PROBatur conclusio, dona (ut probat D. Thomas in prima secundæ. q. 68.) propriè sunt perfectiones, quædam potentiarum, secundum quod sunt aptæ moueri à Spiritu sancto, sed anima Christi perfectissimè à Spiritu sancto mouebatur, ut patet Lucæ. 4. Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est à Iordanè, & agebatur à Spiritu in desertum, ergo in Christo fuerunt præstantissimè dona, & confirmatur clarissimo Esaiæ Vaticinio. cap. 4. Aprahendent (inquit) septem mulieres virum unum, ubi glossa, (idest) septem dona Spiritus sancti aprahendent Christum.

## SECUNDA CONCLUSIO.

IN CHRISTO Seruatore nostro præceteris hominibus fuit timor, quo diuinam reverentiam maiestatem, non quo culpam, aut pœnam timeret.

## ENARRATIO THEOLOGA

PROBATUS conclusio, In Christo fuit omnis plenitudo gratiae iuxta illud Ioannis. I. Vidimus eum plenum gratiae, & veritatis. Sed ad plenitudinem gratiae, diuinam pertinet maiestatem revereri, Ergo.

SECUNDO probatur, Quanto aliquod (ut patet ex Aristotele) receptuum propinquius est cause influenti, abundanter recipit, sed anima Christi propinquius coniungitur Deo inter omnes creaturas rationales, ergo maximum recipit influentiam gratiae, & donorum Spiritus sancti, sic enim recipiebat anima Christi gratiam, & dona Spiritus sancti, ut ex ea quodammodo transfunderetur in alios, quia conferebatur ei gratia, tanquam cuidam vniuersali principio in genere habentium gratiam, virtus enim primi principij alicuius generis vniuersaliter se se extendit ad omnes effectus illius generis, sicut Sol, qui est vniuersalis causa generationis, (ut patetur Dionysius quarto cap. de diuinis nominibus,) eius virtus se extendit ad omnia generabilia, sic igitur plenitudo gratiae est in Christo, de cuius plenitudine omnes accepimus, ergo fuerunt dona illa, quae ad plenitudinem gratiae pertinent, inter quae donum timoris filialis recensetur ab Evangelico vate Esaias. Ergo.

TERTIO & ultimo probatur, timor respicit duo obiecta, quorum unum est malum terribile, aliud autem est potestas, præstancia, & eminentia eius, qui potest malum inferre, & hac ratione dicendum est, quod in Christo fuit timor Dei, non quidem secundum quod respicit malum separationis à Deo per culpam, neq<sup>ue</sup> etiam secundum quod respicit malum punitionis proculpa, sed secundum quod respicit ipsam diuinam maiestatem, & eminentiam, prout scilicet anima

## IN. 34. D. IN. 3. SENTENTIARVM.

scilicet anima Christi quodam affectu reverentia mouebatur in Deum acta à Spiritu sancto, secundum illud Apostoli, ad Hebreos. 5. In omnibus (inquit) exauditus est pro sua reverentia. Quem affectum reverentia ad Deum Christus secundum quod homo præ ceteris habuit plenorem, & ideo Esaias undecimo cap. Christo, Opt. Max. tribuit plenitudinem timoris Domini. Repleuit (inquit) eum Spiritus timoris Domini.

Postremo sic respondetur ad argumenta.

### Ad Primum.

AD primum, quod illud quod est perfectum secundum ordinem sue naturæ indiget adiuvari ab eo, quod est altioris naturæ, sicut homo quantumcumq<sup>ue</sup> perfectus, indiget adiuvari à Deo, qua ratione virtutes, quæ perficiunt potentias animæ, secundum quod ducuntur ratione, quantumuis perfectæ sint, indigent adiuvari per dona, quæ perficiunt potentias animæ, secundum quod à Spiritu sancto mouentur, & aguntur.

### Ad secundum.

AD secundum respondetur, Christum Opt. Max. non secundum idem recipere, & dare dona Spiritus sancti, sed dat secundum quod Deus, & accipit secundum quod homo. Iuxta illud Gregorij, secundo Moral. Spiritus sanctus humanitatem Christi nunquam deseruit, ex cuius diuinitate procedit.



## ENARRATIO THELOGA

Ad tertium.

*AD tertium respondeatur, quod habitus virtutum, & donorum propriè, & per se respiciunt bonum, malum autem ex consequenti, & (ut secundo Aethicorum afferit Aristoteles) ad rationem virtutis pertinet, ut opus bonum reddat. Quo circa de ratione doni timoris non est illud malum terribile, quod respicit timor, sed eminentia, præstans, maiestas, & amplitudo illius boni diuini, cuius potestate aliquod malum inferri potest, sed spes secundum quod virtus est respicit non solum actorem boni, sed etiam ipsum bonum, quod non habetur. Quamobrem Christo, qui iam habebat perfectum beatitudinis bonum, non tribuitur virtus spei, sed donum timoris.*

Ad quartum.

*AD quartum respondeatur, quod ratio totius argumenti est, & agit de timore secundum quod respicit obiectum quod est malum, quod utique longe à nostro instinctu alienum est.*

FINIS.

LAVS DEO.

*Ornari res ipsa negat contenta doceri,  
Sed si qua externa referentur nominali lingua,  
Hoc operis, non vacis erit.*

## GREGORIVS LIBRO octauo Moralia.

Dum gratia diuini respectus nos illuminat, cuncta mentis nostræ nobis abscondita manifestat, Qui enim fiduciam habet domini habitabit terram, & possidebit montem sanctum.

ESAIÆ. L. VII.


*Si bene quid facias, facias cito, nam cito factum  
Cratum erit, ingratum gratia tarda facit,*

O  
rebus viuas  
anchora  
sacra meis.



Basilus.

Omnium diuinorum diuinissimum  
est viuenti Deo cooperari, in re  
ductione animarum  
ad ipsum.



Sepa cierto la virtud  
Que aun que mas este encerrada  
Ha de ser remunerada.

